

1431 lius famam Spinula tanta celeritate ex urbe movit, ut quādam e numero navium prætoriam eo die assequi nequiverint. Ibat Ligur animorum ac fiduciæ plenus, quam recens suorum ad Padum victoria faciebat. Quum prima igitur illuxit aurora, ad Rapalli promontorium (*Caput montis* hodie vocant) quia in conspectu jam erant hostes, suos corpora curare jubet, inde quæ ad pugnam essent necessaria, expedire. Nec postea multum cunctatus, sed secunda usus aura, dato suis signo, ipse quasi eam adversarum navium in quam primo fuisset inVectus, alto mari depressurus, velis in summum mali sublatis, in Venetum vadit. Sensit Spinulæ consilium Lauretanus, pugnamque detrectanti similis, quam maxima potuit celeritate se sinu proripuit. Sequitur eum velut fugientem alacri clamore Ligur; sed ubi est eo Venetus progressus, unde in hostem rediens ventum a puppi haberet, continuo triremium proras in Ligusticam classem flecti jubet: quem in pugnam ferociter redeuntem Spinula intrepide excepit, manuque utrinque avide conferta, cruentum initur prælium: vis telorum ingens dextra lævaque & a fronte cadens, multos ex utraque classe conficiebat. Et jam tres Venetorum triremes a Ligure premebantur, quas ille ab initio pugna circumsteterat: eas conspicatus Spinula, ratus vel minima virium accessione facile a suis opprimi posse, impulsis vehementer remis, advolat: quemvis remorum & æstu vadentem, longa Florentinorum navis ex transverso inVecta ita impulit, ut parum abfuerit, quin prætoria in latus depressa, sit ibidem undis absorpta. Verum, dum ea ægre remigum nisu erigitur, hostis repente proram occupat: atque ita accidit, ut in eadem navi ex puppi Ligur, hostis ex prora acriter dimicarent. Sed tanto ardore hic atque ille pugnam ciebat, ut æstu aliquanto concitatore pelagus fervens, utramque navim pene obruerit. Apprehenderat interea, harpagonibus injectis, octo hostium triremes Venetus: quæ acri se certamine tuentes, ubi prætoriam navim in discrimen adductam videre, facta deditioe, in Lauretani potestatem venerunt;